

NUMMUS MEMORIÆ SACER
 GEORGII FRIDERICI, MARCHIO-
 nis Brandenburgici: cufus receptis ditionibus fuis
 ab Epifcopis Franconiæ & Norimbergen-
 fibus; Anno Chrifti

1558.



Ferdinandus Imp. inauguratione suâ Francofurti ad Moenum feliciter peractâ, rebus agendis se accingere capit, præterque alia controversiam, inter Episcopos Franconiæ, & Norimbergenses, qui, Marchionis Alberti defuncti territorio occupato, arces illius demoliti fuerant, singulari moderatione & æquitate dirimit atque componit. Ex capitibus transactionis ferè erat præcipuum: ut Episcopi & Norimbergenses Marchioni Georgio Friderico Alberti agnato, cui anni superioris mense Martio regionem à se occupatam universam reddiderant, centum insuper & septuaginta quinque aureorum millia, pro arcibus destructis, dependerent. Id etsi iniquè à se peti Franconiæ Episcopi & Norimbergenses existimabant, quod nihil alienum à constitutionibus pacis publicæ, & executionis in proscriptum Marchionem fecissent, nec sumptus executionis ex proscripti territorio recepissent: ut tamen maiores molestias virarent, & quieti ac tranquillitati publicæ simul ac privatae consulere, ratum tandem habuerunt, quod Imperatori placuerat. Georgius Fridericus recuperatâ jam patruelis ditione, & pace cum vicinis confirmatâ, Franconici circuli Capitaneus ab equestri ordine constituitur. *Augustinus Brun-*

nus Annemontanus.

